



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VII. Beatam dicit Virgine[m] Salmon & Rahab; quia non eguit pœnitentiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

7. Beatam dicit Virginem Salmon & Rahab.

Quia Virgo non eguit poenitentiã.

Jerichuntis Filia, Patriã Chananæa, Profelyta Israel fuit Rahab una inter Matres Virginis procreatrices, hæc Principi de tribu Juda Uxor accessit, quæ si quas in bulliente ætate contraxit sordes, in matura claritatem exhibuit vitæ. *Theodoret: in Iosue.* Rahab multitudine bonorum operum vulnera peccatorum contexit. In fide ita excelluit, ita ut ab Apostolo in exemplum fidei proponatur *Heb. 11.* Per fidem non perijt Rahab, cum infidelibus. A spe laudat *Ambrosius lib. 7. de fide c. 5.* Meretrix illa quæ in excidio civitatis remedia desperabat salutis, quia fide vicerat, signa fidei atque vexilla Dominicæ Passionis attollit, coccum ita in fenestra ligavit, ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptionem vernaret. Hospitalitas nota est. De illa *Idem lib. 3. epist. 25.* Rahab, hospitalitatis munere invenit salutem. Puritatem discite ex *Procopio in 2. Iosue.* Semel nupta Rahab immaculatum fidei conjugalis servavit thorum, margaritum olim in luto defollum. Opera bona, ac charitatem S. Iacob 2. sic testatur. *Similiter & Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, & aliã viã efficiens?* Hæc non solum sibi, sed & his qui ad se confugerant salutem obtinuit.

S. Chrysostomus hom. 5. de poenit. Rahab Chananæa dum hospites exploratores domo cum pace suscipit, se morti cum Jerichuntinis civibus proscriptam, excepit. Quod considerando dictus Pater exclamat. Respice novam clementiam, qui in lege dicit: Non mæchaberis, & si mæchaberis regnum Dei non possidebis, verbum transmutas de clemetia, clamat per Iesum Nave. Rahab meretrix vivat. Quod magis explicat *Ioseph lib. 1. antiq. c. 1.* Rahab cum suis, hoc est domesticis & familiaribus exploratores eripuerunt; quocirca illam Iosue rebus maximis honoravit, ac omnes vitæ donavit. Quid putatis vitta est coccinea, vitta salutifera Rahab? *Cant. 4. Sicut vitta coccinea labia tua. LXX.* Sicut funiculus coccineus labia Virginis sunt, hæc conservant eos pro quibus panduntur. *Dionysius Alexandrinus contra Sarracenos* vocat Virginem Filiam vitæ. Una, inquit, & sola Virgo Filia vitæ, genuit Verbum vivens, & per se subsistens, hoc Verbum est vita nostra. Sed & verbum Virginis est nostra vita, cum dixit. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Rahab ut exponit *Origenes in 2. Iosue* sonat latitudinem, nullus certè misericordiarum Virginis dimetiri potuit latitudinem. Labia coccinea.

Ambros. in Psalm. 118. Labia Sponsæ dicuntur coccinea, quia hæc tincta sunt Christi sanguine, sanguis Christi in illis loquitur. *Greg. M. in c. 4. Cant.* Labia Sponsæ purpurea, quia charitate colorantur, & inflammantur. E contra Proverb. 10. *stultus labijs ceditur. Theodotion legit.* Labijs fermentabitur. Fermentum gestat in labijs quod massam corrumpit dulcem, quod inflat, & auget, quod reddit acidum, commaculat. *Salmon Princeps militiæ accepit in uxorem Rahab,* ut per eam suam propaginē ad Mesiā produceret, felix sine illius, atque merito Matrem Mesiæ cur prædicaret Beatam habuit. De Rahab ita *Rupert. in Cant.* Ecce Rahab meretrix dulcis eloquij tui Virgo vittā coccineam, sive funiculum coccineum in fenestra sua ligavit, signum suæ fidei, quod nuncios Iosue sive Iesu suscepit atque salvaverit: dum Ecclesia quondam peccatrix & idololatriæ meretricio sordida, dulce eloquium tuum, quo magnificavit anima tuum Dominum, pignus suæ salutis jugiter personat, & omnem doctrinam Evangelicam, in qua ipsos Apostolos tua sine dubio labia confirmaverunt integrā semper fide prædicat, & de omni quidem anima quæcunq; diversa sentientes ad unitatem suā prædicatione constringit, ut id ipsum dicant omnes, & hoc in charitate & fide non ficta, verum est dicere labia ejus vitæ coccinea, sed in ista gratia cæteris omnibus est incomparabilis post dilectum tuum, cui Spiritus Sanctus in Psalmo dicit, *Diffusa est gratia in labijs tuis.*

8. Beatam dicunt Virginem Booz, & Ruth, ac Noemi.

Quia est Sponsa Spiritus Sancti.

Ruth quid fuerit primo nupta marito, later omnino; postea relaxit fidem quam est amplexa, relaxit charitate, quæ pauperem socrum exul & pauper secuta, relaxit populo Bethleemico tanquam mulier virtutis c. 3. Relaxit senioribus c. 4. qui ei sortem Rachel, & Liæ ut Ierusalem ædificaret, comprecati. Relaxit Israeli, quia sicut frumenti modios c. 3. tulit; sic Sanctos sex illustriores progeniuit, ut notat *Lyra* hoc loco. Davidem, Danielelem, Asariam, Misælem, Ananiam, Mesiā. Relaxit Ecclesiæ gentium. *Theodoret. in 2. cap.* Accepit Ruth plenam mercedem à Domino quando facta est progenitrix Gentium benedictionis. *Ambros. in Luc. 3.* Ruth intravit Ecclesiam, & facta est Israelitis, & meruit inter majores Domini generis computari, propter cognitionem mentis electa non corporis. *Chrysost. in Matth.* Booz pro merito suæ fidei accepit uxorem, ut ex conjugio tali sanctificato, genus nasceretur regale. Relaxit Deo. *idem ibid.*

V 3.

Nam